
Theses utriusque juris.

Numéro d'inventaire : 1980.00012.14

Auteur(s) : Antoine Michael Melchior Cochet

Type de document : affiche

Éditeur : non renseigné (Dijon)

Imprimeur : Antoine Defay

Période de création : 3e quart 18e siècle

Date de création : 1773

Description : Une feuille de papier, renforcée au verso par du ruban ahésif. Les bords sont noircis, tachés et déchirés. Une inscription à l'encre au verso. Une estampe dans la partie supérieure

Mesures : hauteur : 505 mm ; largeur : 375 mm

Notes : Affiche annonçant les thèses de droit civil et de droit canon que doit soutenir Antoine Cochet pour l'obtention de la licence, à l'université de Dijon, le lundi 29 mars 1773. Les articles de droit civil traitent des tutelles et des raisons pour lesquelles on ne peut être tuteur. Les articles de droit canon portent sur les sépultures. L'estampe représente des armoiries.

Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics

Filière : Université

Niveau : Supérieur

Autres descriptions : Langue : Français

Nombre de pages : 1
ill.



DEO OPT. MAX.

THESES

UTRIUSQUE JURIS.

CANONICI.

CIVILIS.

EX MATERIA SORTITO DUCTA.

Ex Cap. 11. Extrà. De Sepulturis.

Ex Lege Humanitatis 23. Cod. De excuf. Tut. &c.

SEPULTURÆ nomine intelligitur locus, in quo defunctorum Scadavera reponi solent.

IN ea Ecclesia quisquis regulariter sepelitur, in quâ Divina audiebat ac percipiebat.

CUIQUE tamen licet sepulturam alibi eligere.

VERUM si alibi quam in propriâ Parochiâ sepultura eligatur, Ecclesiæ dimissæ debetur Canonica portio.

ELIGENS sepulturam in loco non religioso, audiendus non est.

NIHIL pro sepulturâ exigere posse sacris Canonibus definitum fuit; oblatum verò sponte, ritè accipi potest.

HÆRETICI & excommunicati, ab Ecclesiasticâ sepulturâ arceendi sunt.

SI quis sibi casu fatum properaverit, Ecclesiasticâ sepulturâ donandum esse haud dubitatur.

CÆTERUM cum Pfalmis & Orationibus sepelienda sunt defunctorum corpora.

TUTELAM munus publicum esse placuit, proinde invitis injungitur.

VARIIS tamen ex causis tutores excusantur.

QUAS intrâ tempus præfinitum, coram Magistratu proponere debent.

QUIBUS immeritò rejectis ad remedium appellationis recurrere possunt.

INTER justas excusationis causas recensetur numerus liberorum.

SI enim tres liberos Romæ quis habeat, vel in Italiâ quatuor, aut in Provinciis quinque excusabitur à tutelâ.

JUSTAM adhuc causam excusationibus præbent tria onera tutelæ non affectatæ, ætas major septuaginta annis, administratio rei fiscalis, absentia rei publicæ causâ.

ITEM potestas, lis de universis bonis, inimicitia, paupertas, adversa valetudo, imperitia litterarum, professio artium liberalium.

DEMUM ratione pietatis excusatur qui propinquo sanguinis vinculo devincitur ei qui litem gravem habet cum pupillo.

Has Theses Deo Duce, auspice Deiparâ & Præsede Clarissimo Consultissimoque V. D. JOANNE-BAPTISTA MICAULT, J. U. D. Antecessore, necnon in Senatu Patrono, tueri conabatur D. ANTONIUS-MICHAEL-MELCHIOR COCHET, ex Blanz, Monticinenfis, Baccalaureus, Die Lunæ 29 Martii, ann. Dom. 1773, horâ undecimâ.

PRO LICENTIATU.
IN MAJORE UNIVERSITATIS AULA.

DIVIONE, Apud ANTONIUM DEFAY, Provinciæ & Universitatis Typographum.